

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Joh. Jonstoni Thaumato-graphia Naturalis**

**Jonston, Jan**

**Amstelodami, 1661**

Caput I

**urn:nbn:de:bsz:31-97032**

# ADMIRANDA PLANTARUM.

## CAPUT I. DE PLANTIS IN GENERE.

**N**animatorum *anima* vidimus, animatorum jam videbimus. Inter hæc primo plantæ occurrunt, non quod dignitate præcedant, sed quod communem viventium in se habeant gradum. Vegetans enim illas informat anima; nutricem, auctricem, generatricem, cum suis subordinatis facultates profrens: accedit his specifica forma, per quam una quæque constituitur, operatur, ab aliis distinguitur. Corpus illarum certis partibus absolvit natura, quæ ligni, matricis, corticis, radicis, caudicis, rami & surculi, florum dein & fructuum nominibus designare Physiici. Hisce variantibus summa in plantis varietas. Ortum illis terra tribuit, indita in creatione facultas, & quia qualitatum magna variatio, magna & in his conspicitur. Expresse Moses; *Herbescat terra herbulas, herbas sementantes semen, arbores fructiferas edentes fructum in species suas, in quibus suum sit semen super terram. Porta l. 2. Phytogn. cap. 1.* veto cum è profundissimis ædium fundamentis egestam humum convasset, atque sub dio exposuisset, paucis post diebus, è variis terræ qualitibus, varia herbarum prodire genera, Neapolitano cælo, soloque familiaria, conspexit. Maritare quasdam necesse est. Hinc maris & fœminæ confusa in illis principia sunt. At falsum imprægnari favonio, quod *Plinius* scribit. Exarescunt, quæ plurimum fructificant. Consumitur enim nutrimentum; & ultra *D. Thomæ* Insulam, Auster tantum spirare dicitur; alibi duo tantum per vices venti.

Cate

Cæterum non in omnibus omnia plantarum genera locis crescere, certum est. Nam & juxta Romam castaneæ agre proveniunt & circa Bosphorum Cimmetium, in Panticapæo urbe, omnimode laboravit Mithridates Rex & cæteri incolæ, factorum certe causâ laurum, myrtumque habere, non contigit. Quod vero & sub alio cælo novæ reperitæ, ut Tabacum pridem ex America petitum sylvestre in radicibus Sylvæ Thuringiæ inventum. *Libav. l. 4. de origine rerum*, aëri semina omnium habenti, quæ cum aqua pluvia deferantur, in plantas abeant, adscribit *Anaxagoras*; putrescentibus aquis cum terris mixtis *Diogenes*: ventis deferentibus alii. Providentiæ divinæ nos tribuimus; quæ non omnes secundum individua produxit plantas; sed in paradyso digessit optimas, cæteras reliquit extra; quasdam virtute instituit, suis in apricum prædituras temporibus. Vitam quod attinet, calore in terra vivunt, frigore consumuntur; renasci iterum quasdam, olea ad radicem exulta, post germinans, apud *Theophrastum* testatur *lib. 2. de plant. c. 4.* Extra terram etiam vivere, capæ & allium, quæ post multos menses à terra separata, sine ullo terræ alimento germinant humore multo & crasso stipata. *Marcell. lib. 4. histor. medic. mira. cap. 12.* Vires plantarum stupendæ sunt. Observatum inflammati vulnera per noxiarum si divagemur loca; sanati morbos, si per salubrium. *Matheol. in Diosc. Præfat.* Hemionitidis contactu splenerici sunt sanati; subltrato in calceis nudis pedibus chelidonio, isterici; tamdiu quispiam lippiudine non tentatur, quam diu sylvestris rumicis radicem secum nitidissime habuerit. Desinet stranguaria cruciari, qui Tamaricis lignum ardens sua extinxerit urina. Variè illos digerunt medici; ex signaturus cognoscere Chymici docent; & *Neapolitanus Porta.* Cujus membri referunt figuram, illi prodesse, probatum putatur. *Sennert. de Conf. Chym. c. 18.* Sed de his alibi plura, si dies voluerit. Nunc luxuriantem in Plantis naturam, & secreta pandentem sua, videamus, & pie admiremur.